



Tr. jur. sing. 1763. f.

V I R O

*PRÆNOBILI AMPLISSIMO,
ATQUE CONSULTISSIMO*

DOMINO,

D. JOANNI PETRO

GEIGER,

Supremæ intra Alsatiam Curia Advocato,
ut & Reverendissimæ & Illustrissimæ
Principissæ, ac Abbatissæ, Andlaviensis,

CONSILIARIO, & SECRETARIO.

Avunculo suo plurimum Spectando,

THESES HASCE

HUMILLIME OFFERT, DEDICAT, AC CONSECRAT

Devinctissimus ex Sorore Nepos

JOANNES JOSEPHUS MEYER.



PRÆFATIO.

DUm has Exhibeo meas *Studi Juridici primitias*, alia non est instituti mei ratio, quam ut pro brevissimo, quo in hâc celeberrimâ facultate versor tempore, brevissimas etiam in his pagellis exhiberem *Theses*; ne dum exposita fortè *materiarum amplitudo*, parvam cum ratione temporis mei habere videretur *proportionem*, aliena, quam quæ hîc mea sunt *subiecisse videar*, unde, dum has benevolo *lectori exhibeo Theses*, eas ut æquo animo, *suscipiat ita à me deductas* rogo.

DE



DE SERVITUTIBUS PERSONALIBUS

THESIS I.

Servitutes personales præcipuæ, quæ in duobus institutionum titulis 4. & 5. ab Imperatore relatæ videntur, Tres sunt, nimirum usus fructus, usus, & habitatio: nomine autem servitutum personalium quod inscribantur, ne cui videatur absonum, maximè si spectet ipsam quæ in servitutibus istis occurrit materiam, rem scilicet, seu fundum ipsum servientem. Quæ realem potius quam personalem his servitutibus, dare videtur qualitatem, quod tamen falsum.

THESIS II.

Verum quidem est, omnem servitutem realem esse, quatenus Jus in re, eam constituere ex definitione patet, quæ causa ejus esset materialis, à qua hæc non

A

de

desumenda de nominatio, verum potiùs à causâ sua formali, quod nempe res serviat Personæ, hinc Personalis dicitur servitus, non quod prædium non afficiat, sed quod ultra Personam cui debetur non extendatur, & quidem ita, quod concessa sit non rei, sed Personæ cui servit.

T H E S I S III.

Breviter itaque servitus de qua agimus Personalis, definitur, quod sit jus, quo prædium alienum, Personæ servit, idque vel Jure servitutis ut vocant plenæ, vel minus plenæ; ad plenam servitutem hic referimus usumfructum, qui est Jus alienis rebus utendi, fruendi, salva rerum substantia, quod de vero dictum sit usufructu.

T H E S I S IV.

Hic itaque, cum dicatur jus alienis rebus utendi, non male occasionem sumpserunt Doctores, unum, dicere de quo tractat definitio usumfructum formalem, tanquam Jus separatum à proprietate, alterum usumfructum causalem, competentem, & causatum unicuique Domino, ex proprio Dominii sui pleni Beneficio, non ut jus à Dominio separatum, sed potiùs ut effectum Dominii.

T H E.

T H E S I S V.

U Susfructus itaque, de quo tractamus, formalis, si non ut dictum consistat in rebus quæ usu non consumuntur, verum potius quarum substantia usu consumitur, ususfructus erit quasi seu improprius qualis est in vino, oleo, vestimentis, quotidianis scilicet, non scænicis v.g. quæ non ita usu consumptibilia sunt.

T H E S I S VI.

Qui uterque ususfructus formalis, varijs constituitur modis, ut puta *vel* à lege, qualis est ususfructus competens Patri, in peculiis (cæteris paribus) ratione Patriæ potestatis, ut & ususfructus competens Patri, vel Matri, ob secundas nuptias, in casu l. 3. *§ seq. Auth. l. 5 § seq. auth, cod. de secundis nuptiis* *vel* ab homine, qualis constituitur à iudice in iudicijs divisorijs: *vel* tandem per ipsius Domini voluntatem, expressam, quæ fit vel inter vivos, per donationem, contractum tam nominatum, quam innominatum. Vel mortis causâ per hæreditatem, legatum, & fidei commissum, ita per expressam Domini constitutionem.

T H E S I S VII.

Constituitur etiam per tacitam Domini voluntatem quæ tacita Domini constitutio, oritur mediante præscriptione longi scilicet temporis, concurrente bona fide, & titulo, verò scilicet, qualis esse solet in aliis rerum corporalium præscriptionibus & usucapionibus, longissimi vero, si tantum bona fides adsit sine titulo tali.

T H E S I S VIII.

Quæ Constituta servitus amittitur iterum, I. Capitis diminutione, maximâ, & mediâ, hodie Banno Imperii. II. Non usu, neque per se, neque per alios, decem annis inter præsentem, & viginti inter absentes. Aut usu quidem, sed non eo modo quo debuit, qui usufructus amissus dicitur, ob defectum modi utendi. Amittitur III. Consolidatione, concurrente nempe proprietate cum usufructu. IV. Cessione facta extraneo, V. totali rei interitu, adeo ut si usufructus constitutus sit ædium, ipsis dirutis, hic non restitui dicatur usufructus.

THE.

T H E S I S IX.

Hic Notandum, usum fructum promissum, Jus tantum procreare ad rem, constitutum autem, Jus dare in re, seu actiones Reales duas, Confessoriam unam, alteram negatoriam. Quæ actiones, tamen. Quamvis transeant passivè in hæredes, activè tamen transire non possunt, nisi filio non Emancipato, ususfructus constitutus reperiatur, qui mortuo filio durat in patre, mortuo autem Patre, in ipsum recadere, Filium negari non potest.

T H E S I S X.

Hoc Jure ergo constituto, plenè utitur Usufructuarius, non tantum ad propriam suam necessitatem, verum etiam, ad omne prout ipsi videbitur commodum, fructus vendendo, percipiendi ususfructûs Commoditatem aliis locando, non tamen deteriorando, sed ut bonum decet Patrem familias utendo. Ob demortuas v. g. substituendo, in grege oves, in vineis vites.

T H E S I S XI.

Differt ergò ab hoc usufructu, essentialissime usus, qui Jus dicitur, alienis utendi rebus, ad necessaria tantum subsidia vitæ, salvâ rerum substantiâ;

A 5

quæ

quæ itaque necessitas, cum rarione subjecti, ipsum tantum tangat utentem, Jus faciet individuum, ratione etiam Juris accrescendi, quod tamen Jus in usufructu, etiam post realem concursum dari non ignotum est.

T H E S I S XII.

Hinc adeo, restrictum est hoc Jus, Usus, ut nec alteri vel locari, vel ejus cedi possit Commoditas, nisi forte, alias inutile planè esse usufructuario, hoc Jus usûs demonstrari possit; quo sane casu, cum nullam habere possit rationem usûs, hæc usufructuario facultas auferenda non est.

T H E S I S XIII.

Hæc eadem restricta usufructuarii ratio, se exserit in usu ædium, quo habito, ædium usufructuario ædes aliis ne quidem locare, imo vix secum recipere hospitem licitum, nisi ipse simul inhabitet, quo casu proprium necdum usum transgredi, videtur usufructuarius.

T H E S I S XIV.

Quia itaque tam Exiguum est usufructuarii emolumentum, alio igitur, ejus Condicio relevatur comodo

modo

modo, quod nempè non obligetur ad agriculturæ expensas. Qui tamen rem factam, tectamque servare, tributa solvere tenetur, nisi omnem absumant percipiendi usûs utilitatem, & fructus.

THESIS XV.

Ratione tamen Actionis non differt, hic de quo loquimur usus, ab usufructu, quod idem obtinet, tam in modis usumfructum constituendi, quam amittendi. Cum in tantum eadem hic vigeat, usûs ratio, quæ visa est suprâ in usufructu.

THESIS XVI.

Tertia & postrema, quæ se offert servitus personalis, dicitur habitatio, quæ est Jus inhabitandi ædes alienas, & omne Commodum ex illarum inhabitatione, percipiendi; in tantum, ut quamvis Jus videatur, cum usu maximè Analogum, illud tamen maximam habere ab usu differentiam, facile demonstrari possit.

T H E S I S X V I I .

Qualis esse potest, quod habitatio aliis locare possit, etiam si ipse non simul cum inquilino inhabitet, qui Jus habitationis habet, item, quod non amittatur non utendo, nec maximâ vel mediâ capitis diminutione, ut usus: Cum hoc habitationis Jus in facto maximè consistat, quod ita facile non amittitur.

T H E S I S X V I I I .

EX qua ultimâ differentiâ, diversam constituit habitatio Juris rationem, ab ipso etiam usufructu, quamvis quo ad modos constituendi, & amittendi ab eo non differat.



Tratt. jur. civ.
802

